

4
2
3
1
7
5
1
1



1661.

1. Schulze, Bernhardus: De praescriptione criminum.

2. Schulze, Bernhardus: De jure vendendi pignus
sive hypothecam.

3. Wippsman, Ingelbertus: De usuris.

1662.
1. Schulze, Bernhardus: De transiione in heredes.

1663.

1. Schulze, Bernhardus: De emptione.

1664

1. Brandes, Joann. Martinus: Theses miscellae
inaugurales.

2. Brandes, Joann. Martinus: De accusatione.

3. Brandes, Joann. Martinus: De attentatis.

4. Brandes, Joh. Martinus: De jure foresti.

5. Schulze, Bernhardus: De rescriptis innotatis.

6. Schulze, Bernhardus: De summarissimo possessorio.

1665

1. Pestelius, David: De beneficiis. Ordinis Justiniani.

1665

2. Schultze, Bernhardus : De charta Blanca seu
vaca vulgo Blanquet

3. Schultze, Bernhardus : De glandis praena exortui
nobis exasperanda et vitiganda

1666

1. Pesteluis, David : Thesauri juris canonici Decades VI

2. Schultze, Bernhardus : De arbitris compromissariis.

3. Schultze, Bernhardus : De rebus mere facultatis

4. Schultze, Bernhardus : De infamia

5. Schultze, Bernhardus : De inspectione oculari.

1667.

1. Pesteluis, David : De prohibita appellatione
haec est de causis, in quibus appellatio locum
non habet ad Curiam.

1699

2. Perles, David : de stabilienda pace inter conjuges.
3. Perles, David : de praesentibus creditorum.

2

3

1

1

2

3

4

5


1

1




714









18.
DISSERTATIO JURIDICA 7 / 9f.
1664, 2.

Inauguralis,

DE

ASSECURATIONE

Quam

DIVINI NOMINIS AUSPICIO

Arbitrio Magnif. & Amplif. Jctorum

Ordinis in illustri Academia Rintelensi

PRÆSIDE

Dn. JOAN-MARTINO Brandes/

J. U. D. & Decretal. Prof. Publ. ac p. t. Facult. suæ

DECANO

Domino ac Promotore meo ætatem colendo,

PRO LICENTIA

Summos in utroque Jure Honores & Privilegia DO-
CTORUM legitimè capessendi

Doctis publicè examinandam exhibeo

Simon-Heinr: Sanneman

Ad d. IX. Maji in Auditorio Jctorum horis ante & pomeridianis



RINTELI, Typis Vidua Luciana, 1664.



I. N. D. N. I. C.



Lim plerarumque Rerumpubl. autorita-
te non minus ac communi fere Philo-
sophorum consensu mercaturam ac ne-
gotiationem pro sordido abjectoque vi-
tæ genere habitam esse, dubitari non
meretur. Divinus Plato exterminat il-
lam è numero illarum artium, quibus Remp. suam instruit, in
*Epinom. pr. & clarius 8. de Rep. Aristotel. 7. Pol. 9. βίον ἀγεν-
νήν, καὶ πρὸς ἀπειρὺν ὑπερβαλλόν, vitam ignobilem, & ad virtutem
subcontrariam vocat. Dion. Halicarn. lib. 2. Mercatores ne qui-
dem inter Cives Romanos relinquit; Xenoph. not. loc. in lib.
de Oecon. sect. 4. cum non Reip. nec amicis, imò nec sibi ipsis
satis vacare possint, abjectos ac viles, ac patriæ desertores; He-
rodot. in Euterpe contemptissimos mortalium; Cic. 1. Off. sor-
didos appellat; nec multum recedit Ictus Martianus, cum
illos servis accenset in l. legatus 65. ff. de leg. 3. Unde factum,
ut nobiles negotiari prohibiti sint, l. nobilior. C. de Comm. &
merc. l. 6. C. de dign. cum inter sordidos & abjectos quæstus
mercatura reponeretur l. humilem C. de incest. nupt. l. Senatores
l. C. de natur. lib. & Senatoribus navem habere ex l. Julia re-
petundarum non licuerit. l. 3. de vac. & excus. mun.*

A §. 2.



§. 2. Quod quanquam & postea provinciæ aliquot & regna similiter observaverint, illud tamen non de verè dictis mercatoribus solidariis, quos Itali *Mercanti chi vendono all'ingrosso*, Galli *Grosiers* vocant; sed minoribus illis propolis qui *artem vel privato pudendam palam exercent, cœmendo quadam tantum ut pluris postea distrahant*, Suet. in *Vesp.* 16. accipi debet; qui, cum turpe lucrum pro ultimo actionum suarum fine propositum habeant, sordidi appellari meruerunt. Non huius loci est, imo à proposito meo longè alienissimum, mercaturæ hinc causam agere, aut multa pro illâ disceptare; negotium alioquin tam facile ac obvium, quam aliud ullum. Illud saltem constare credo, adeò nullam dari Rempubl. quæ commerciis omninò possit carere, quam fieri non potest, ut aliqua Resp. iis omnibus abundet, quæ tum ad usum tum voluptatem conducunt. Est ea scilicet vel florentissimarum regionum indigentia in hoc, & rursus in alio rerum genere affluentia, ut nisi sint qui hæc cum aliis, quos eadem premit necessitas, invicem permutando publicis utilitatibus consulant, multis carere cogantur; plurimis etiam quibus abundant ne uti quidem possint. Quod plenius exequuntur Jso. *Paneg.* Plato 2. *de LL.* & Arist. 6. *Pol.* cui iunge Plut. in *Solon.* & Diod. 14. *Biblioth.* & è Jctis Benev. Straccham *Tr. de Mercaturâ part. 2. n. 16. & 17* & Sigism. Scaccia *Tr. de Commerc. & Camb. §. 1. Quest. 1. n. 17. & seqq.* à nostro hæc, ut dixi, scopo alieniora.

§. 3. Mercaturæ Philosophus 1. *Pol.* 7. tria facit genera; quæ *ναυκληρίαν, φορηγίαν παράστασιν* Naucleriã onerariã, *παραστάσιν* appellat. Naucleria, quã *ἡν κατὰ τὰ λατῶν ἰμπορίαν* vocat Plato noster 2. *de Rep.* ipsius Philos. c. l. testimonio fructuosissima quidem omnium at intutissima est, ob plurima & innumera

numera à mari pericula, quod homini potenti ac crudeli comparat Paulus in l. 3. de mort. caus. don. & extra imperii sui limites situm fatetur Imp. Antoninus l. deprecatio 9. ff. ad l. Rhod. de jact. Stracch. Tr. de Nau. nav. & navig. part. 2. n. 21. Quibus equidem periculis non quidem avertendis, minuendis tamen, ac ab uno aut paucis in plures dissipandis dividendisque, non solum societates Nauticæ in præcipuis regnis ac Rebus publ. laudabiliter institutæ, de quibus videri potest Casp. Klock pulcherr. Tract. de Aerar. l. 1. c. 14. n. 108. & mult. seqq. & Joh. Th. Sprenger. de Bon. Princip. c. 20. sed & singulorum utilitatibus aliis modis optimè est provisum. Quos inter non postremo loco ille nominari meretur, quem vulgariter Assecurationem vocant, quo periculum navis vel mercium vel utriusque pro certo & ad periculum adæquato pretio quis in se suscipit. Et hunc assecurationis contractum esse omni jure licitum, & fieri in maximam Reip. utilitatem, ut alios omittam, scribunt Mich. Salas ad D. Thom. 2. 2. Q. 5. art. 6. concl. 1. Didac. Covarruv. Var. Res. l. 3. c. 2. n. 5. Dom. Soto de Inst. & l. 6. Q. 7. art. un. Lud. Molin., 2 de Inst. & l. Disp. 507. n. 3. in f. J. Petrus Fontanella Tom. 1. Decis. R. Catalaun. Decis. 243. n. 1. Gasp. Ant. Thesaur. l. 4. Quæst. For. 77. idemque ex Alex. & Jason. refert Joh. Babt. Lupus in. c. naviganti de usur. post præfat. n. 4. & 5. præcipuè Venetiis, Genuæ, Neapoli, Anconæ, Olyssipponi, Marsiliis, teste Petro Santernâ Lusit. de spons. & ass. merc. part. 1. n. 3. Et referente Alv. Valasc. Tom. 1. Consult. 64 n. 1. Olyssippone, quam hodiè Lisbonam vocant, est mensa publica assecurantium, cui regiâ autoritate Notarius ad eos contractus est constitutus. Idem Hispali ac Genuæ receptum testatur

✻ 4 ✻

Molin. *loc. cit.* n. 1. neque diversum est Florentiæ in *Judicio sex
judicum Mercatura*, de quo infra n. 20.

§. 4. Et de hâc assecuratione pro temporis ac inge-
nii modulo, pro Licentiâ, quam vocant, more majorum locu-
turus, paucis agere institui. Est autem materia hâc inter pau-
cas utilis & necessaria, cum in Germaniâ, maritimis non mi-
nus ac aliis locis assecurationes in viridi sint observantia, ac
quotidiè de eâ controversiæ maximæ oriuntur, eaq; decisi-
per Appellationem ad Cameram devolvantur; uti nomina-
tim in causâ *Nocha contra Coyman & consortes*, & iterum
Schott contra Dortmund factum, meminit Rutg. Ruland.
de Commiss. part. 4. lib. 2. c. 16. n. 1. ubi verè addit de illâ in jure
scripto aut apud interpretes pauca exactè esse expressâ.
Servo autem hunc ordinè, ut post contractus etymologiâ ac
definitionem, ad formam illius & subjèctum, & mox de justiti-
â ejusdem pauca præfatus ad affinia & contraria progre-
diar. Cum autem varix sint assecurationum species, ut infra
§. 13. & 21. videbo, hîc tamen præcipuè de eâ quæ circa mer-
ces maritrajiciendas occupatur, agere animus est.

§. 5. Adsecuratio ab *adsecurando*, & hoc ab *ad* & *se-
curus* est, notatque propriè quemlibet actum quo alium fa-
cio securum, *eine Versicherung* / & *adsecurator*, qui alium
quâcunque ratione facit securum, Gall. *asseureur*, & *asseure-
ment*. Quanquam vix est, ut *assecurationis* & *assecurandi* vo-
cabula apud quemquam purioris Latini sermonis autorem
reperias. Quoniam verò suscipiendo reialicujus pericu-
lum, securum suo modo de re illum facimus, cujus gratiâ pe-
riculum subimus, contractus hic assecurationis dictus est.
Molin. *d. Disp. 507. n. 1.*

§. 6. Definire illum placet, quod sit *contractus inno-
minatus*

minatus, Dou fatias, bonæ fidei, quo rei alicujus periculum pro
 pretio aut alio quocunque interesse suscipitur. Dico esse con-
 tractum innominatum; idque non una ratione, non paucis
 DD. dissentientibus. Emtionem & venditionem vocat Alv.
 Valasc. d. Conf. 64. n. 3. & Molin, d. disp. 507. n. 2. Ben. Strac-
 cha Tr. de Affec. Gl. 27. n. 4. vers. secunda facti S. Scaccia d. Tr.
 S. I. Q. 7. p. 3. lim. 6. n. 5. Locationem & conductionem J. Con-
 rad. de Contract. Q. 71. pr. Fidejussionem ex Fr. Garcia, Lud.
 Lopez. de Contr. lib. 2. c. 16, in f. pr. quem videtur secutus J. Azo-
 rius Instit. Moral. part. 3. l. 11. Tit. de contr. dub. c. 18. dub. 2. præ-
 stationem alieni periculi, eamque vel gratis vel pro certo
 precio susceptam; illo casu, promissionem gratuitam,
 hoc contractum Emtioni venditioni similem, Leon. Lessius
 de Just. & Jur. lib. 2. c. 28. dub. 4. n. 24. A. Perez. ad t. C. de Naufr.
 lib. 11. n. 22. Ex quibus DD. sententiis ut mediæ duæ pa-
 rum aut nihil rationis habere videntur, idem fatente Alv.
 Valasc. & Molin. *ll. cit.* ita prior, ac ultima non sunt impro-
 bables. Sanè cum hîc pro certo precio vendatur susceptio
 periculi, seu obligatio solvendi æstimationem rei si illa pe-
 reat, & hæc non ficta aliqua sed propriè dicta sit venditio; ac
 quemadmodum jactus retis, id est jus ad pisces qui retis ja-
 ctu capiuntur emitur ac venditur *l. si jactum ff. de act. emt.*
 ita etiam onus solvendi rem si pereat, juxta *l. periculi præ-
 tium ff. de naut. fœn.* similiter æstimentur hîc merces quæ
 postea solvantur, per not. Bartol. in *l. si gratuitam 17. ff. de
 præscr. verb.* vix est, ut non emtio venditio cuiquam videri
 possit. Verum hæc eatenus saltem vera esse contendo, ut
 assecurationis contractus Emtioni Vendit. quam proximè
 accedat, & ad ejus naturam reguletur, non ut talis sit. Quod
 ut paucis demonstrarem, in indagando contractus genere il-



Iud imprimis examinandum præmitto, an sub aliquam speciem contractuum nominatorum propriè reduci possit; sin, an habeat causam, id est, ex mente Accursii, *in l. 7. §. sed et si 2. ff. de pact.* dationem vel factum, ex quo pactio vestitur; si neque hoc, non erit contractus, sed in nudi pacti finibus subsistet. add. Molin. 2. *de C. I. d. 257. n. 4.* & Suth. *Diff. 12. aph. 44. seqq.* Sub aliquam nominatorum contractuum speciem assecurationem referri posse non puto. Nam ut de reliquis taceam, Emtio venditio propriè non est, cum desit hïc res vendenda, pro quâ pretium detur. Susceptio enim periculi cum sit factum, sub emtionem accuratè loquendo non cadit. Deinde adest causa, infallibile innominati contractus signum, scil. *do ut facias* ex parte assecurati, *Facio ut des* ex parte assecuratoris; & denique semper vel *datione pretii*, periculi suscipiendi causâ, vel *facto*, h. e. ipsius periculi susceptione, ut pretium detur, perficitur, quod in Emtione vendit. secus est. Et concludo itaque cum Petro Santern. *d. Tr. de Affec. p. 3. n. 12.* quod sit contractus innominatus, sive illum dicas, *facio ut des*, attentâ personâ promissoris, vel assecuratoris; sive *do ut facias*, attentâ personâ assecurati. Quanquam rectissimè subjicit, potius illum referri ad speciem *Do ut facias*, quod Dominus mercium consueverit assecurationem stipulari, & promittere precium periculi, & quod principaliter fiat assecurati gratiâ. Et hanc sententiam similiter fovent Bald. *in l. si periculi pret. de naut. fœn. & in l. cunctos populos, in quest. an usur. sint prohib. n. 4. C. de summ. Trin. Pet. Cornæus in l. si pascenda pecora 8. C. de pact.* J. Petr. Fontanella *Decis. R. Catalon. Tom. 1. Dec. 243. n. 3.* & noviss. Dn. Hahn. *Obs. ad Wes. de præscr. verb. n. 4.*

§. 7. Adjeci esse bonæ fidei, non solum sui naturâ,
§. actio-

§. actionum a. 24. l. de act. ubi omn. vid. Bachov. n. 3. sed & quod accedat proximè ad contractum Emtionis venditionis, quæ est ratio Perez. d. n. 22. Cum vero actionum in eos quæ sunt *bonæ fidei* & *stricti juris* divisio omninò ex iudicis officio proficiscatur, quod aliquando strictum est, id est adstrictum formulæ sibi præscriptæ, interdum latissimum, causâ æquitati commissâ, quicquid ex bono & æquo videbitur, ut pulchrè animadvertit H. Vultei. *add. §. actionum n. 2.* in illis locis, ubi principum aut magistratum constitutionibus publicè assurationi suæ leges ac formulæ statutæ sunt, quas examinat H. Grotius *Isagog. Jur. Holl. l. 3. p. 24.* stricti illam juris esse asserere non dubito.

§. 8. Per periculum cujus in definitione memini, intelligo casum sinistrum seu adversum, sub quo etiam comprehendo fortuitum, quem nullum humanum consilium prævidere potuit, l. 2. §. *si eo tempore ff. de admin. rer. ad civ. seu inopinatæ rei eventum*, cui provideri non potest. Stracch. *de Affec. gl. 22. n. 1.* Sebast Medices *Tract. de fort. cas. 2. 12. n. 1. seqq.* cujusmodi sunt vis ventorum, fluminis, tempestatis, ruinæ, naufragii, terræ motus, incendiû, latronum, hostium, bannitorum, piratarum, & demum omnis alia vis, cui resisti non potest l. *fluminum 24. §. 3. 4. ff. de damn. inf. l. 2. §. si quis in jud. ff. si quis caution. l. 3. §. 1. inf. ff. naut. caup. l. 18. ff. comm. l. 1. C. de pos. l. ex conducto 15. §. 2. ff. Loc.* Item si illa vis procedat à Principe, cujus factum connumeratur inter casus fortuitos, l. *Lucius II. ff. de Eviēt. M. de Afflict. Decis. 54. n. 2.* & alii quos citat P. Surdus *Decis. ult. n. 15.* imo etiam factum iudicis ordinarii l. 2. §. *fin. ff. si quis caution.* etiã injustum, cum quicquid evenit ex injusta iudicis sententiâ, dicatur casu fortuito



tuito evenisse, l. xi. ubi Bartol. ff. de evict. Sant. d. Tr. p. 4. n. 25. 26. & 27. & late Scacc. d. §. 1. Q. 1. n. 135. & seqq. Dis. Don. Garc. Mastrill. 3. Decis. R. Sic. 283. n. 62. Qui casus etsi regulariter à nemine præstantur, hoc tamen tunc intelligendum est, quando illos nemo in se suscepit: secus quando quis accepto pretio proportionato præstaturum se eos recepit; quod licitum omnijure concessumque, mox videbimus.

§. 9. Sed quid si talis acciderit casus sinister, qui quidem nec antequam veniebat, nec cum veniebat humanâ providentiâ caveri poterat; poterat autem postquam venit. Tale do exemplum. Navis Hollandica à Turcis in mari interno haud procul à portu Liburnensi obsessa ac bellicis tormentis quasata vitium fecit, & aliquâ parte percussâ aquam hausit. Ingruescente nocte quanquam gubernator potuisset fracturam reficere, ac integra navi Liburnum evadere, omisit ille hanc curam, & expectato mane, venit in hostium potestatem cum suâ navi. Q. an contigerit casus fortuitus, & consequenter an agi possit contra assecuratorem, qui omne periculum casumque adversum navis in se recepit? Et respondeo affirmando, advenisse utique casum sinistram, & assecuratum posse agere quod jam existitit conditio ac sit impleta arg. l. si quis heredem 7. ubi Gl. in f. Bald. in pr. Iason n. 1. cum seq. ac alii C. de instit. & substit. l. 1. §. fin. & ibi Bald. not. 2. & Paul de Castr. n. 1. C. de ind. vid. toll. Scacc. Tract. de jud. caus. lib. 2. c. 9. n. 121. & de Commerc. §. 1. Q. 1. n. 143 ubi ita decisum refert in Rot. Genuensi. Ac generaliter tenendum est, quod quicquid navi assecuratæ adveniat culpâ seu dolo navarchi seu nautarum (quanquam quoad nautas dissentiat R. Ruland. d. p. 4. l. 2. c. 16. n. 18) vel ingenere, tertii, aut alterius præter assecuratum

curatum, sine facto assecurati, illud pro casu fortuito, quique declinari non potuit, reputari; quanquam agi tunc possit contra illum tertium ratione damni suâ culpâ illati *l. inde Neratius §. 1. ff. ad L. Aquil.* quod verosimilius videtur, ab assecuratore; Bartol. *in d. §. 1. & in l. quibus ff. de condit. & dem.* Illud autem communi mercatorum stylo ac consuetudine receptum dicit Mastrill. *d. 3. Decis. R. Sic 284. n. 46.* ut actione directâ contra surripientem bona assecurata, amplius contra assecuratores non detur recursus; ubi idem juri communi congruum dicit, *n. 47.* secus si quid eveniat culpâ assecurati, ut si merces sint interceptæ, quia erant prohibitæ, aut non solum erat vectigal, aut gabella, aut aliter aliquid culpose administratum, Confer Ben. Stracch. *d. Tr. de Nau. nav. & navig. p. 3. n. 6. & mult. seqq.* & Santern. *d. tr. p. 4. n. 16. 17. & 19.* Scacc. *d. 2. l. 1. n. 144.* R. Ruland. *d. p. 4. l. 2. c. 16. n. 9.* Et vide hîc pulcherriam Decisionem dicti Mastrill. *2. Decis. R. Sic. 197.* ubi multa huc facientia egregiè resolvit, & Fontanell. *1. Decis. 143. n. 24.*

§. 10. Quòd verò supra addidi, *pro pretio* suscipi periculum, ita intelligendum est, ut possit illud quidem etiam gratis suscipi, tunc verò non sit contractus onerosus sed gratuitus, pertineatque ad donationem & liberalitatem; quia verò regulariter non ita celebratur, ideo solum contractum assecurationis onerosæ definitum, ac de tali solum theses has loqui; Molin. *d. disp. 507. n. 2. in f.* Pretium autem illud naturaliter debet proportionatum & adæquatum esse periculo, quod sustinetur, ita ut si hoc vel ob mercium pretiositatem, vel ob imminens à piratis aut tempestate discrimen, gravius, vel quod talia timenda non sint, levius evadat, etiam illud augmentum

B

decre-



decrementumque recipiat. Leon, *Lefs. supr. cit. c. 28. d. 4. n. 24.* Illud saltim quæritur, an pretio à lege præstituto liceat contrahentibus ob periculi magnitudinem, aut aliâ rationabili de causâ illud augere? Ad cognoscendam autem seu justitiam seu injustitiam pretii duos habemus modos; quorum prior est si perquiramus, an pretium quo de agimus, sit à lege vel statuto taxatum; quia eo casu adeò justum est, ut neque modicum ultra liceat accipere, imò si notabili excessu augeatur, peccatum mortale esse scribit, D. de Soto *de j. & j. l. 6. Q. 2. art. 3.* idemque ad taxationem factam à consuetudine extendit S. Scacc. *de judic. caus. lib. 1. c. 12. n. 86.* Posteriori modo distinguitur inter rem mobilem ac immobilem. Illius justum pretium dicitur, quod communiter à non constituto in egestate, intelligente, scienteque conditionem rei, ac habente perfectam ætatem ac iudicium reperitur simile ipsi rei; & est attendendum pretium in loco, in quo agitur, cum illud multum variet; *l. ideo 3. ff. de eo quod cert. loc.* Hujus pretium æstimatu difficilius est, neque potest dari certa regula qua punctualis ejus seu justitia seu injustitia judicetur, cum certum sit illam modica vel additione vel minutione non libari, D. Thom, 2. 2. *Q. 77. art. 1. vers. ad primum ergo.* Satis latè autem quæ eò pertinent executus est J. Babi Lupus *in l. 2. §. 5. per tot. C. de pact. int. empt. & vend.* Hinc cum appareat, multa reperiri, quorum æstimatio facilè iniri non possit, justa pretii eorum cognitio voluntati & conscientiæ contrahentium meritò relinquitur. Scacc. *de Comm. §. 1. Q. 7. p. 2. ampl. 10. n. 58.* Respondeo itaque ad propositam quaestionem, pretio à lege taxato, ex augmento decremento ve periculi illud non augeri minuique, nec in exteriori nec interiori foro; nisi excessus alterutrius sit ultra dimidium; quo casu rescissioni

scissioni ex l. 2. C. de Resc. vend. locum esse quidam arbitrantur, de quo postea. Et hoc pulchro exemplo declarat Scacc. d. Tr. de Comm. §. 3. Gloss. 3. n. 51.

§. II. Quæri hic à DD. solet, si asscuratis mercibus in numero ac pondere contingat casus adversus, quodnam premium debeat attendi; an loci in quo merces sunt emtæ onerataque, an ubi sunt asscuratæ? item an tempus adversi casus, an quo sunt emtæ? R. distinguendo; aut merces in ipsâ asscuratione sunt æstimatæ, v. g. si merces meæ peribunt, dabis mille? aut, si merces meæ quæ ascendunt ad mille peribunt, indemnem me fore spondes? & mercibus ita asscuratis mille solvenda esse indubium est; in priori quidē speciē absolutē, posteriori autē, si asscuratus mille valuisse probaverit; Santern. d. Tr. p. 3. n. 43. seqq. Stracch. d. Tr. de assc. gloss. 6. n. 4. Aut vero merces asscuratæ sunt sine aliquâ æstimatione, idque rursus vel ad certum locum, & ejus tunc inspicietur æstimatione, l. fin. ff. de Cond. trit. Sant. d. l. n. 41. Stracch. d. l. n. 1. vel sine nominatione certi loci aut temporis; & tunc & locus & tempus contractus inspicietur, l. fundum 28. de novat. Sant. d. n. 41. seqq. Stracch. d. l. n. 1. seqq. & quanquam per obscurus Scacc. d. §. 1. Q. I. n. 169. Ac in Cataloniæ quidem regno valor mercium generaliter non computatur respectu loci a Quo, sed ad quem destinantur, si damnum succedit factâ navigatione ultra dimidium itineris, teste I. P. Fontanell. d. 1. Decis. 244. n. 18. Quanquam cum ordinariē asscuratores vix examinare solent, an merces tanti vel majoris valeant, sed solum curent æstimationem; hæc æstimatione mercibus illis si quæ sunt, applicari debet; unde si tota mercium quantitas pereat, tota æstimatione solvenda est, etsi merces longè ultra justum æstimatæ sint;

B 2

Si



si media pars pereat, media pars æstimationis solvenda est; si tertia, tertia, & sic deinceps, rectè monente L. Lessio *d. dub. 4. n. 29.* Jung. omninò Molin. *d. disp. 507. n. 8. ibi: solum est quod admoneam.* & R. Ruland. *d. c. 16. n. 14. 15.*

§. 12. Forma assecurationis & perfectio in eo consistit, ut omnia gerantur bonâ fide, sine fraude ac dolo, pretium susceptioni periculi adæquetur, & rursus illa ad periculum obligatio iudicio viri intelligentis, quanti est pretium, quod pro eâ datur, L. Less. *d. c. 28. D. 4. n. 24.* Deinde, ubi lex vel consuetudo certam contractui formam posuit, illa servetur; ubi non; stetur conventioni partium; ac denique actuali vel datione pretii, vel susceptione periculi contractus perficiatur. Add. Santern. *d. p. 3. n. 38.* ubi dicit quod assecurationis forma potissimè sit ponderanda. Rot. Gen. *Decis. 25. n. 1. 2.* & opt. Stracch. *d. l. Gl. 19.* Sic assecuratione factâ in certam navem, dictam S. Maria, quæ erat fregatta, mercibus ex illâ in barcam translatis, & deperditis assecuratorem non teneri, rectè iudicavit Consistorium Panormitanum, teste Don Garcîa Mastrill. *d. Decis. R. Sicil. l. 2. Decis. 182. n. 8.* eò quod promissio assecuratoris non possit extendi de uno casu in alium; *d. Decis. 25. n. 7.* J. Menoch. *Conf. 246. n. 10.* Cavalcan. 2. *Decis. 5. n. 31.* multû autem intersit, an fregattâ vel barca, & in genere hâc vel illâ navi navigetur, Stracch. *d. l. Gl. 8. n. 2.* Vid. omn. ipsum Mastrill. *l. c.* Ita si dominus mercium paratum se dixerit ad navigandum mense Junio, vel Julio, quo minus erat periculi, & navi assecuratâ sub illâ conditione distulerit navigationem in mensem Decembrem, si navis cum mercibus pereat, non tenebitur assecurator, *text. not. in l. Qui Romæ 122. §. Calpurnius ff. de V. O. & ibi Baldus.* R. Ruland. *d. c. 16. n. 17.* Et hoc

hoc tenendum monet Santerna cum quotidie accidat, ut
 nauæ bono & securo tempore omisso, vini Capatichi de
 Ulisbona dulcedine forte aut mulierculis detenti, periculoso
 deinde navigent, *d. 3. n. 47.* Similiter affecuratorem, qui pro
 miserat damnum super navi onustâ, navigaturâ tali tempore
 & primo viaggio, si aduerso tempore aut diuerso viaggio mer-
 ces vehantur ac postea naufragentur, non teneri, scribunt in
 specie Ruinus, *Consil. 65. n. 11.* & Rot. Genuens. *d. Decis. 25.*
per tot. Lud. Lopez de Contr. lib. 2. c. 10 fol mihi 130. Joh. Petr.
 Fontanell. 2. *Decis. Catal. 527. n. 4.* & in simili casu refert Pari-
 sius *l. 1. Consil. 47. n. 38. seqq.* cum esset data commissio in regno
 Siciliæ emendi frumenta, & illa onerandi super certis navibus
 sub nomine Marchionis Mantuæ, cum illa frumenta super
 aliis navibus & sine nomine Marchionis onerarentur, ac peri-
 rent, stetisse illa risico seu periculo onerantis, & non commit-
 tentis. Confer. Jac. de Grals. *de Contr. affec. lib. 2. c. 10. n. 11.* &
 Fontanell. 1. *Decis. 243. & 244.* Ita in locis ubi vel legis est
 vel consuetudinis, ut aliquam rerum transvehendarum par-
 tem affecuret ipse dominus, quemadmodum Barchinonæ
 affecurationem non valere, nisi octavam periculi partem
 subierit affecuratus, test. Fontanell. *d. decis. 244. n. 14.* utique
 seruandum est. Et ut me verbo expediam, primum viden-
 dum est, an publica lex affecurationi formam dederit; uti in
 Germaniâ maritimis maximè Civitatibus secundum stylum
 & morem fori sive Bursæ mercatorum Antwerpiensis af-
 fecurationes ut plurimum fieri, ac proinde illum stylum tan-
 quam in re nauticâ attendi, fundatumque esse primo in Sta-
 turis Civit. Antverpianæ *titul. 54. von Contracten von Affecu-
 rantien.* deinde in Ordinatione Regis Hispan. Philippi po-
 stremo

12

7

stremò publicatâ; monet *R. Ruland. d. c. 16. n. 4.* Si non adsit forma à lege præscripta, illa servanda est, quam contrahentes dederunt, & verba instrumenti de super confecti diligenter sunt ponderanda. *Ruland. l. c. n. 24.* Formulas tam assecurationum mercium quam vitæ hominis curioso lectori supeditat *Scacc. d. 2. 1. n. 141. & 142.*

§. 13. Objectum assecurationis seu materia circa quam sunt res omnes, quæcunque subiacere possunt periculo & interitui; ut sunt omnis generis merces, tam mari quam terrâ transferendæ, pecuniæ ex uno loco in alium transportandæ, naves vel cum mercibus vel absque illis, transitus personæ per loca hostibus, hæreticis, piratis, latronibus intuta; vita hominis ejusque superviventia pro certo tempore, ac alia plura; unde merito *J. Azorium Inst. Moral. p. 3. l. 11. T. de contr. dub. c. 13. Dub. 6.* illa ad quatuor genera reducere conantem notat *Scacc. d. 2. 1. n. 133.* Et hinc non difficulter colligitur, deficiente materiâ contractus, id est, re assecuratâ, vel in totum vel ex parte, ipsum contractum vel omnino, vel pro illâ parte concidere, *arg. l. si homo mortuus 69. ff. de V. O. §. 1. l. de inut. Stip.* Ita *Titius* in Lusitaniâ mandat negotiorum suorum gestorî in Indiâ, ut in tali navî mittat sibi merces in Lusitaniâ valituras decem millia Ducatorum, existimansque illas venturas assecurationem inî cum *Cajo*, numerans illi pro periculi pretio trecentos. Redit navis saltim duobus millibus onusta; rectè responsum in Senatu Lusitano, *Titium* teneri saltem ad pretium assecurationis pro quantitate mercium impositarum; & si tali casu navis perierit, *Cajum* non teneri ultra 2000. Ducatos; sin nihil plane mercium missum sit, deficiente contractus materiâ



riâ & ipsum corruere, neque Titium ad pretium, nec Cajum ad valorem mercium obligari; teste Santern, *p. 3, n. 10.* Molin. *d. disp. 507. n. 7.* Gamma *Decis. Lusit. 181. n. 2.* & hanc partem secum Santernâ defendisse in judicio, notat Alv. Valasc. *d. Conf. 64. n. 5. inf.*

§. 14. Longè diversus est casus de quo disputat Dom. Soto 6. *de j. & j. Q. 7. art. 1.* Nempe si quis habens navem vacuum affirmet illam onustam esse mercibus, æstimarique cum illis pretio quadragies millium, & de his quadr. mill. ineat cum aliquo assecurationem; quæritur, an talis assecurator navi deperditâ ad 40000. teneatur? Et respondet Sot. *d. l.* quem & sequitur L. Lessius *d. dub. 4. n. 28.* distinguendo. Aut enim assecurator sciebat, seu suspicabatur nullas exstare merces, vel extare non tanti valoris; & validus est contractus, cum nulla fiat assecuratori injuria, & sustinetur assecuratio in vim sponsonis hujusmodi; si navis venerit salva, dabo tibi bis mille; si peribit, dabis mihi quadraginta millia; (nisi tamen dolo vel culpâ assecurati, lucro quadrag. mill. inhiantis navis periret, quo casu assecurator ad nihil teneretur) aut existimabat assecurator vera narrari, & merces tanti valoris in navi existere; & contractus doli, ac mendacii fraudulentæ occasione ortus non valebit. Iterum tamen hîc subdistinguit Lessius *l. c.* aut enim, ait, cum illâ dispositione animi contraxit, ut etiam si scivisset nihil esse, nihilominus voluisset contrahere; aut ita erat affectus, ut si scivisset, noluisset. Illo casu ab utroque latere tenebit contractus; hoc à neutro, & assecurator restituet assecurationis si quod accepit pretium. Verum hæc, etsi in foro interiori ita forsân habere se possunt, at in exteriori cum multis fraudibus ac deceptionibus causam largiri possent, meritò reji-

12

[]



reijciuntur, ac indistin^{ct}e cum P. Santern. & Stracch. d. Gl. 6.
n. 6. & S. Scacc. d. §. 1. Q. 7. p. 2. ampl. 10. n. 22. statuitur asecu-
rationem non valere. Pulchrè tamen addit Molin. d. disp.
507. n. 5. *ibi addo tamen* si dominus navis tantam adhibuisset
diligentiam circa vacuam navem, quantam potuisset circa
mercibus onustam adhibere, in conscientiæ foro neque exi-
gere suos quadraginta mille aureos, neque retinere prohiberi;
& apponit rationem, quod qui periculum in se suscipit, non
tam habet rationem valoris navis & mercium, quam susci-
piendi in se periculum, & pro eo lucrandi suum pretium. Et
sive sint in navi merces, sive non, hâc in parte non est deceptus,
quia parem diligentiam domino adhibente, simile illum vel
lucrum manet, vel damnum. adde his elegantem caute-
lam quam subjungit ibidem, *vers. hinc dico.*

§. 15. Ne verò sit, qui hunc de quo locutus sum, asecu-
rationis contractum injustitiæ accuset, quamquam hoc
primo loco factum fortè oportuit, & nunc tamè de illâ paucis
videbo. Et fanè cum in hoc contractu omnia cœcæ fortunæ
dispositioni subiaceant, quæ ratio etiam ludum inter prohibi-
ta, imo crimina retulit, si fides Caccialup. *Tr. de ludo* Q. 18. &
ult. n. 12. inf. stultum verò sit supponere se casui & fortunæ,
cum possis tibi aliter consulere, Paris de Puteo *Tr. de Lud. n. 37.*
inf. deinde asecurator sine ullo suo facto vel lucrum vel da-
mnum sentiat immodicum, quorum hoc injustum, illud con-
tra divini mandati tenorem est, quod in sudore vultus panem
vult comedi Gen. III. 19. ad hæc casum adversamque fortu-
nam hominis liberi expectare neque civile sit neque natu-
rale, *l. inter stipulantem* 83, §. *sacram ff. de V. O.* quod in asecu-
ratione non potest non crebro evenire, quæ Conrad. *de Contr.*

Q. 71.

Q. 17. argumenta sunt; demum otis in Republ. non danda sit occasio, quæ his lueris utique nutriuntur; ac denique conventio de rebus quæ per mare deferuntur pro pretio, fœnoris nautici, ac sic prohibiti *c. fin. de Usur.* naturam induere videatur; non utique injuriâ contractus hujus justitiâ ac æquitas in dubium vocari mererentur. Quod nominatim factum à dicto Conrad. *l. c. cui omnis contractus in solâ fortunâ sine admixtione industriæ aut operæ fundatus, injustitiæ suspectus est, uti illum refert Molin. d. disp. 507. n. 3.*

§. 16. Verum enim vero tanti illa non sunt, ut à receptissimâ pro affecurationis justitiâ sententiâ transversum aliquem agere possint. Quod ut tribus verbis faciam testatum, hoc primum suppono, in commerciis exactam illam & mathematicam in contrahendi modo æqualitatem tam anxie & scrupulosè considerari non posse, J. Babt. Lupus *in l. 2. n. 51. inf. C. de pact. int. emt. & vend.* cum hinc ipsa commercia impedirentur, quæ tam exactum rigorem tolerare non possunt; Did. Covarruv. *l. 2. V. Res. c. 3. n. 2.* & hinc multa contrahentium vel voluntati vel conscientiæ relinqui, monet Scacc. *d. §. 1. Q. 7. p. 2. ampl. 10. n. 58.* Deinde susceptionem periculi, cum sit aliquid pretio æstimabile, actum non facere illicitum; Sant. *p. 1. n. fin.* Periculum enim taxari posse, ac ratione illius citra ullam usuræ labem posse moderatum pretium exigi & accipi, unanimes est DD. sententia, quos refert Scacc. *d. §. 1. Q. 1. n. 498. & §. 6. Gl. 1. n. 14. ac alibi passim Molin. 2. Disp. 318. n. 4. seqq. Covarruv. 3. V. R. 2. n. 5. Stracch. de affec. in pref. 2. 31. vers. secunda facti spec. & omnem actionem posse ratione periculi esse lucrosam, & solius periculi intuitu tolerari lucra & acceptiones in multis contractibus, quæ alias forent illicitæ,*

C

tæ,

tæ, tenet Dom. Soto 6. de j. & j. 2. 7. art. un. & Sant. p. 5. n. 3.
 seqq. frustra dissentiente L. Lopez de Contract. l. 2. c. 16. vers.
 porrò illa questio, ac quibusdam aliis quos refert Scacc. d. l. n.
 500. & 502. Ac probato igitur susceptionem periculi esse
 actum per se licitum, quod & agnoscunt Icti in l. in nave, & l.
 opus ff. Loc. l. 7. §. item si quis pactus ff. & l. 1. C. de pact. l. 39. ff.
 mand. l. 1. l. 10. ff. de peric. & comm. rei vend. & l. decens
 116. de v. o. ac alibi passim; inde consequitur quod nemo pro-
 hiberi possit de illo pacisci aut contrahere, cum omnis actus
 licitus ac non prohibitus sit subjectum voluntatis contra-
 hentium arg. d. l. 7. §. & generaliter ff. de pact. ac tales actus ex
 conventionem partium legem accipiant, l. 1. §. si conveniat ff.
 depos. l. in convention. 52. ff. de v. o. Ita e. g. quivis fidejussor
 ratione periculi quod fidejubendo subit, potest stipulari ali-
 quam mercedem pro fidejussione, cum possit contingere ut
 labente facultatibus debitore ipse universum solvere coga-
 tur; & hoc non sub ratione damni aut lucri cessantis, sed in
 periculi pretium boni viri arbitrati accipiet, l. hoc jure 19. §.
 Labeo & ibi Bartol. ff. de donat. Soto d. lib. 6. 2. 1. art. 2. vers. re-
 stat etiam & latius Covarruv. d. l. 3. c. 2. n. 6. & esse hanc com-
 munem sententiam monet Molin. d. Tr. 2. d. 319. n. 2. jungi
 Scacc. d. §. 1. 2. 7. p. 3. lim. 6. n. 4. & §. 3. Gl. 3. n. 7. His adde quæ
 de præstantiâ ac singulari asssecurationis in Rep, utilitate su-
 pra n. 3. adduxi.

§. 17. Neque verò quæ §. 15. apponebantur, quic-
 quam in contrarium faciunt. Quod enim primò de fortu-
 nâ afferebatur, nihil efficere poterit, cum innumeri sint con-
 tractus, quorum non est aliud objectum, quam pecuniæ for-
 tunæ expositæ, nihilominus tamen liciti illi & honesti, & per
 quos

quos tutâ conscientia dominium transfertur & acquiritur,
 Mich. Salas ad. D. Thom. 2.2. Q. 5. de dominio art. 6. concl. 1. &
 multa negotia humana esse licita, quæ ancipiti tamē fortunæ
 committuntur, scribit Soto 4. de j. & j. Q. 5. art. 2. Unde quan-
 quam assecuratio à merâ fortunâ pendeat, tamen cum cau-
 sam habeat honestam ac publicè utilem, vid. *supr.* §. 3. ob so-
 lum fortuitum dubiumve eventum pro injustâ non est re-
 putanda, & salvâ conscientia ratione incertitudinis illius ac
 dubii eventus potest unus lucrari quod alius perdit; R. Ru-
 land. d. p. 4. l. 2. c. 16. n. 1. Sant. p. 2. n. 1. *seqq.* & similis est ratio in
 sponsione, quam tamen modo de re honesta vel indifferen-
 ti fiat, uno ore licitam dicunt DD. Soto, Salas *ll. cc.* Caccialup.
 d. Tr. de Lud. Q. 2. inf. n. 6. A. Gomez 2. V. R. II. n. 4. Matth. de
 Afflict. Decis. Neapol. 359. & Molina 2. D. 508. n. 1. Neque
 valet argumentum à ludo supra allatum, qui stando in ter-
 minis juris naturalis non prohibitus, nec ex se aut sui natura
 illicitus est; nisi quod ob plurimos abusus, malos mores ac
 alia incommoda quibus ansam porrigit, positivo jure vetari
 meruit, uti concors est DD. sententia, ex quibus Sotum *l. c.*
 n. 1. Mich. à Salas *l. c. vers. primò quia & seqq.* & Molin. 2. *Disp.*
 510. n. 3. nominasse sufficiat. At putidius est, quod ex *Gen. III.*
 affertur; quoniam divites non tenentur laborare ut pane
 suo vescantur, aut id illis in modum præcepti traditur, sed est
 saltem denuntiatio pœnæ ob peccatum Adami, quod ipsi po-
 sterisque ejus necesse deinceps futurum esset laborare, ut
 terra necessaria illis ad sustentationem suppeditaret. Plura
 hujusmodi cumulavit, ac bene ad ea respondit Joan. de Me-
 dinâ in suis *Tract. Tom. 2. tit. de reb. rest. Q. 21. fol. 162.*


§. 18. Illud majoris momenti est, anc. naviganti de
 C 2 usur.

Handwritten notes:
K. 25
num. 23

12

[Stamp]





usur. multis scolasticorum commentationibus vexatum assecurationi nostræ officiat? Formo casum hujusmodi. Titius in Angliam trajecturus rogat à Cajo mutuùm mille aureos. Promittit Caju se daturum, sed hâc conditione, ut liceat sibi simul suscipere eorum mille aur. periculum, quò postea aliquid ultra sortem recipiat. Respondit Gregorius *in d. c. naviganti*, Caju mutuatore[m] esse usurarium, dum exigit aliquid ultra sortem, quod peculiariter in mutuo vetitum, *c. consuluit & c. in civitate. de usur.* quod apud omnes Theologos, Juristas & Canonistas receptum suâ fide dicit Santern. *d. p. 1. n. 9.* Et huic casui addo talem alium. Titius in Angliam trajecturus à Cajo mille petit mutuum, impetratque. Idem pecuniâ acceptâ sponte suâ, nec ullâ ad id pactione præcedente, cum Cajo de dictis mille assecurationis inît contractum. Respondeo hunc valere, ac licitè Caju mutuata[m] pecuniæ periculum in se suscipere, licitè hujus periculî pretium à Titio exigere, nihil obstante d. nostro *c. naviganti.* Neque diversitatis ratio est in longinquo. Illo casu intuitu mutui petitur aliquid ultra sortem, & hoc usurarium est. Hoc illud quod sortem excedit, non datur ratione mutui, nec propter usum pecuniæ, nec propter nudum interesse interusurii temporis, sed propter aliam justissimam causam, periculi nimirum contra naturam mutui spectantis ad creditorem; qui propterea, etiam si nollet mutuum dare, possët nihilominus pro precio licitè in se recipere periculum; nec propter hoc, quod mutuataro officium facit, debet effici deterioris conditionis, cum nemini officium suum debeat esse damnosum. Neque inepta est ratio I. de Medinâ *in suis Tr. Tom. 2. tit. de reb. per us. acquis. 2. 4. coroll. 1.* quod si pactum
de



de periculo suscipiendo apponatur ex parte mutuantis, contractus non excusetur à vitio usuræ, quamvis merces pro periculo exacta sit iusta; secus si ex parte mutuarii. Et hunc verum & genuinum *d. cap. intellectum* sequuntur D. Covarruv. 3. *V. R. 2. n. 5. 1. Babt. Lupus in d. c. naviganti post pref. n. 3. & 4. Molin. 2. Disp. 318. n. f. ubi tres ponit resolutiones* Santern. *d. p. 1. n. 10. seqq. Stracch. de affec. in pref. n. 30. & quod hæc sit communis DD. resolutio, post Molin. l. c. testatur Scacc. d. § 1. 2. 1. n. 498.*

§. 19. Ne verò affecurationem promiscuè & quoquo modo initam justam arbitreris, hoc utique sciendum est, requiri omnino, ut eventus rei quæ affecuratur incertus sit, saltem comparatione notitiæ, quam uterque contrahentium tempore contractus habet. Etenim uterque contrahentium debet æqualiter expositus esse lucro & damno; affecurans quidem solvendi majus interesse pro minori, vel lucrandi omnino illud minus interesse; affecuratus verò amittendi pretium quod solvit, aut obtinendi pro eo longè majus interesse ab affecuratore. Atque in commutationem unius periculi ac commodi cui se unus exponit, pro periculo ac commodo cui alter est expositus, contractus justitiam nanciscitur, modò æqualitas proportionem quâdam spectatis circumstantiis concurrentibus utrinque cernatur. *Molin. 2. disp. 107. n. 4. Signanter dixi, notitia quam habent contrahentes tempore contractus.* Etenim licet res jam perierit tempore contractus, aut salva jam in portu advenerit, modò hoc contrahentes ignorent, tenebit utique affecuratio, ad quam scilicet satis est, quod uterque saltim opinione suâ & credulitate damno & lucro æqualiter fuerit expositus; quemadmodum in



Contractu sponſionis de re aliqua futurâ, quanquam illa reve-
râ jam ſit præterita, ſatis tamen eſt ad æqualitatem contractus,
ſi illa utrique contrahentium incerta ſit, ob æqualem utrius-
que damno & lucro ſui expoſitionem, Molin. *d. l. n. 6.* Alv. Va-
laſc. *d. Conf. 64. n. 6. 7.* Stracch. *de affec. gl. 27. n. 2.* & Scacc. *d. §.*
1. Q. 7. p. 2. ampl. 10. n. 19. & 21. ubi reſpond. ad contr. Dn. Hahn.
l. c. Perez. C. de naufr. n. 23.

§. 20. Illud hîc indagari meretur, quomodo probe-
tur ſcientia vel notitia aſſecuratoriſ, rem fuiſſe in ſalvo; aut
aſſecurati, rem periſſe, ſi alterutra partium hanc alleget? Et
notandum primò, alleganti notitiam ſeu ſcientiam alterius,
incumbere ejus probationem; tum quia eſt allegatio doli, qui
regulariter non præſumitur, niſi probetur; tum quia ſimul
facti, quod alter negat. Negativa autem ſui naturâ eſt impro-
babilis. Et ita ſe vidiffe præticari in terminis Statutor. Ge-
nuæ *lib. 4. c. 17. §. ſecuritates facta*, notat Scacc. *d. §. 1. Q. 1. n. 157.*
Probationes autem non hîc requiruntur plenæ illæ, & luce
meridianâ clariores, ſed ſufficiunt leves ex præſumptionibus &
conjecturis; Stracch. *d. gl. 27. n. 5.* idemque ſequuntur *d. Stat.*
Gen. l. c. Quænam autem præſumptiones ſufficiant, pruden-
tis arbitrio judicis meritò relinquitur. Stracch. *d. l.* Et præci-
pua equidem earum ſumitur ex diſtantiâ loci ubi caſus ſini-
ſter evenit, ad locû factæ aſſecurationis; & ſic ex quantitate in-
termediî temporis, ſi illud eſt tantum, ut nuntius ex uno loco
in alium potuerit pervenire, notitia; ſi ſecus, ignorantia præ-
ſumitur. Stracch. & Stat. *Gen. dd. 11.* Verum cum illi lo-
corû à ſe invicẽ dimenſurationi à jure certa mēſura data non
ſit: ſive hîc praxin mercatorû Hiſp. ſequamur, navî cui ven-
ti non reſtant ſingulis diebus XXIV. Leucas, & Equiti per diſ-
poſitos

positos equos, seu postam currenti XXX. Leuc. tribuentem, Alv. Valasc. d. Conf. 64. n. 9. five ad mensuram itineris quod vocato ad iudicium tribuitur, recurramus, quam itineri terrestri quotidie XX. Milliaria (Ital.) & singulis septimanis unum diē quietis, maritimo L. mill. indulgere, scribit Scacc. de iudic. caus. l. i. c. 91. n. 32. Sive denique secundum dispositionem Stat. Gen. cuilibet horæ spatio duo miliaria tam ad iter terrestre quam maritimum determinemus, à loco in quem primum notitia devenit usque ad locum affecurationis in singulas XXIV. horas XLVIII. mill. computando; aut quâcunque demum calculatione utamur, cum infinita in itineribus possint incidere, quæ moram injiciant, fatius longè est hæc prudentis iudicis arbitrio ex concurrentibus circumstantiis dijudicanda committere, Molin. d. disp. 507. n. 5. Alv. Valasc. d. l. quod peculiariter pulcherrimè Florentiæ receptum, ubi iudicio Sex iudicum Mercaturæ committi solet, an nuncius venire potuerit an secus, referente Stracch. d. l. n. 5. vers. tertia facti. Alia conjectura est ex famâ vel casus sinistri, vel securi & felicitis adventus, orta in loco factæ affecurationis ante illam contractam. Requiritur tamen & hujus ab allegante probatio, Scacc. d. l. n. 161. seqq.

§. 21. Restat ut verbo ea commemorem, quæ affinia affecurationi nostræ sunt, quæ contraria. Inter illa primò venit affecuratio vitæ hominis, quæ est, contractus quo quis securam reddit vitam alicujus ad certum tempus pro pretio, ita ut hoc ante id tempus mortuo, ille solvat certam pecunie quantitatem. Quicquid alii in contrarium dicant, cum Dom. Soto 6. de j. & s. 2. 7. art. 1. & L. Molin. d. disp. 507. n. 12. contractum hunc justissimum esse non dubito. Neque enim periculum est,

est, ut assecurator ullâ ratione optet mortem assecurati, quâ interveniente ad solutionem pecuniæ teneatur, sed potius pro conservatione illius vitæ sibi lucrosæ, quamque in longinquum extendi suâ multum interest, omnem movebit lapidem. Quid? quod donatio mortis causâ, & institutio hæredis jure non improbentur, cum tamen occasionem donatario aut hæredi dare possint optandi mortem testatoris donatorisve; quantò magis nostra hæc assecuratio, ubi tale nihil timendum, imò ubi his insidiis pulchrè obviam itur? Non solùm autem hic contractus per se celebratur, sed & plerumque occasione aliorum; ut si creditor non sit recuperaturus debitum, nisi debitor aliquo tempore supervivat; e. g. Electus ad Episcopatum petat mutuùm 1000. quibus bullarũ expeditionem solvat; mutuans autem, cum videat perituum sibi creditum, si Episcopus paucos intra menses & antequam ex redditibus sibi satisfacere possit, moriatur, det eâ conditione, ut mercator aliquis assecuret Episcopi vitam ad quatuor aut plures post adeptũ Episcopatũ annos, ex quorũ deinde redditibus satisfieri sibi possit. Idem continget si filiusfam. petat pecuniam mutuam, &, quoniam si is moreretur ante patrem, creditor non recuperaret pecuniam, secus si prius moreretur pater; eâ conditione accipiat, si mercator assecuret ejus vitam post mortem patris Add. J. Azor. d. p. 3. *Instit. Moral. lib. 11. Tit. de contr. dub. c. 18. d. 8. & Scacc. §. 3. Gl. 3. n. 52.* Deinde & hujusmodi contractus licitus est ex se: *Largire mihi tantum, & ego securum te facio, quod in his nundinis, ad quas proficisceris tantum vel tantum lucraberis, ita ut si minus lucreris, incrementum tibi solvam;* D. Soto, Azorius *ll. cit.* quibus adde pulcherrimum contractum Hispali usitatum, quem refert & ad



ad æqualitatem reducit Molin. *l. c. n. 13. 14. seqq.* Denique & sponsio ab asssecuratione nostrâ in substantiâ & justitiâ pretii non differt, unde & dicuntur fraternizare invicem, Conrad. *de Contr. Q. 71. concl. 2.* differunt autem in hâc qualitate, quod asssecuratio habeat justam causam, evidentem & utilem; sponsio verò non quidem injustam, latentem tamen nec utilitatis tam manifestæ; unde & asssecuratio Reip. utilior dicitur. Scacc. *d. §. 1. Q. 1. n. 13.* Jung. Azorium *l. c. dub. 7. vers. si objicias.*

§. 22. Inter contraria Asssecurationi primum numero dolum, cum, ut *supr. n. 7.* demonstravi, illa sit bonæ fidei, cui nihil tam est contrarium quam fraus & dolus; *l. 3. §. fin. ff. pro Soc.* Et primum igitur asssecuratio, cui dolus causam dedit, nulla est ipso jure, Jason *ad §. actionū n. 30. & 31. j. de act.* etiam si sit jurata J. Gutierrez *Tr. de Contr. jur. c. 37. n. 12.* Si dolus causam quidem non dederit, incidit tamen in asssecurationem, stabit illa quidem ipso jure, agetur autem actione ex contractu ad supplementum justii pretii. Molin. *d. disp. 507. n. 4.* Et ita secundum juris nostri principia dicendum puto. Quanquam verum ut fatear, de dolo vel incidente vel causam dante tam bonæ fidei, quam stricti juris contractui, promiscuè & sine illâ distinctione loquantur Abbas *in c. in civitate 6. n. 6. de usur. & in c. cum causa 42. n. 4. de test.* & A. Burgund. *in c. cum dilecti n. 21. cas. 2. de Emt. vend. ac DD. plures;* imò ex Jasonis sententiâ hodiè de æquitate Canonicâ omnes contractus mundi sint bonæ fidei, *in §. quadrupli autem in f. n. 90. l. de Action. cui similiter ad stipulatur Burg. l. c. n. 53. & 54.* Cæterùm qualis dolus esse debeat, ob quem asssecuratio rescindi possit, docet Scacc. *d. §. 1. Q. 7. p. 2. ampl. 10. n. 11. & 14.*
Secundo etiam culpa asssecurati asssecurationi obstat & excludit

D

dit

K. 2
n. 23

12

L. 10



dit affecuratum obligationem, Sant. d. p. 4. n. 33. Stracch. Gl. 31. vers. sexta facti species; Sfort. Oddo Conf. 31. n. 20. 32. 33. Mastrill. 5. Decis. 284. n. 58. seqq. adeo ut ad nihil teneantur; imo ratione damni, quod occasione affecurationis passi sunt, affecuratos convenire possint. Ita navi cum mercibus à Principe confiscatis, si possit ea affecuratus recuperare, & tamē per multum tempus hoc intermiserit; præsumitur culpā ejus deperditā, & affecuratos amplius non tenentur. Sant. d. l. n. 28. Oddo d. Conf. 31. n. 19. Mastrill. d. l. n. 65. Ita similiter bonis feliciter in portū appulsis, in terrā autē deprædatis aut alias deperditis, sive affecuratus hoc impedire potuisset sive non, affecuratos non tenentur; Mastrill. ib. n. 67. R. Ruland. *supr. cit. lib. 2. c. 16.* in quo posteriori tamen verba contractus bene inspicienda indubiū puto; cum ita factā affecuratione, ut merces securè tradantur, daß die Güter ihm sicher in sein Haus oder Gewahrsam geliefert werden / & c. etiam de casu in terrā adveniente affecuratos meritò teneantur. Adde DD. *ll. cit.* Denique & Lætionem Affecurationi nostræ obstare certum est; non quidem quamcunque; cum moderata deceptio secundum leges humanas toleretur, nec contractum annihilat, Mich. Salas ad D. Thom. 2. 2. Q. 77. art. 1. *controv. 17.* Soto de j. & j. d. l. 6. Q. 2. art. 3. A. Burgund. ad d. c. cum dilecti. n. 15. Lessius de j. & j. d. lib. 2. c. 21. n. 20. tam in foro civili, quam ecclesiastico, cum nec à Jure Civili nec à Jure Canonico ex solā pretii parvitate citra dimidium justii pretii præsumatur fraus vel dolus vel simulatio & ideo læsus neutro jure admittatur ad agendum, Stracch. de Mercat. part. 2. n. 6. Soto d. l. Q. 3. art. 1. sed illam demum, quæ est ultra dimidium justii pretii, quamque in affecuratione nostrā, utpote contractu Emptioni venditioni valde



105.

valde simili, beneficio *l. 2. C. de resc. vend. coërceri receptior* est opinio; ceu post alios pulchrè deducit *S. Scacc. de Commerc. d. 8. l. 2. 7. p. 2. ampl. 10. n. 5. seqq.* quo brevitatis causâ lectorem benev. remitto.

§. 23. Superesset ut hîc paucis etiam de remediis assècurationum, & quando viâ executivâ contra assècuratores procedi possit, agerem. Verùm cum tempore exclusus id quidem nunc omittere cogar, non hujus modò intempestivæ festinationis, sed & plurium aliorum quæ hâc exercitatione vel omîssa sunt prorsus, vel incuriosius & nimis perfunctoriè tractata, veniam à benigno Lectore peto, & impetrare confido. Dabitur fortè occasio, ut universam hanc materiam & lectione DD. & judicio provectiori, fortè etiam his additis, quæ exteri moris, aliarumque provinciarum cognitio suggerent, olim largiori industriâ politiorique studio in publicum dare liceat. Divinæ inierim benignitati pro his

& futuris beneficiis infinitæ gratiæ debentur.

F I N I S.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



A
A
D
&
Su



X2615931

1077







B.I.G.

Farbkarte #13

18.

7 / 9f.

ATIO JURIDICA
uguralis,

1664, 2.

DE
IRATIONE

Quam
MINIS AUSPICIO
& Amplifs. Ictorum
Academiâ Rintelensi

RÆSIDE
ARTINO Brandes/
rof. Publ. ac p. t. Facult. suæ
CANO

tore meo etatem colendo,
LICENTIA

e Honores & Privilegia DO.
legitimè capeffendi

xaminandam exhibeo
inr: Sanneman
Ctorum horis ante & pomeridianis



is Vidua Luciana, 1664.

12